

PRAEFATIO AVTORIS IN PV-
tenicos canones cœlestium motuum.



ULTORVM ANNORVM
obseruationes factæ ab eximijs artificibus testan-
tur ex usitatis tabulis cœlestium motuum non
posse amplius calculum proferri cœlo congruen-
tem. Magnam igitur gratiam debemus summo
uiro Nicolao Copernico, quod & obseruationes suas multo-
rum annorum uigilijs, & magna laboris assiduitate partas stu-
diosis liberaliter communicauit, & collapsam penè motuum
doctrinam restituit, atq; in lucẽ reuocauit, edito opere suo re-
uolutionum. Verum ut Geometrica eius omnia tanquam
summi artificis sunt perfecta, & planè elaborata, ut haud sci-
am an quidquam melius in hoc toto genere doctrinæ proferri
unquam possit, ita languisse interdum optimi senis studium
in numerorum tractatione res ipsa docet, si quis accurate con-
sideret canones prosthaphæreseon, & conferat ipsius inter se
calculum & obseruationes.

Primum igitur Copernici obseruationes cum Ptolemæi &
aliorum contuliquam accuratissimè, ac præter nudas obserua-
tiones, & demonstrationum uestigia aliud quidem nihil sum-
psi à Copernico, sed canones tum æqualium motuum, tum
prosthaphæreseon, tum reliquos deniq; omnes de nouo con-
didi, in quorum etiam nonnullis aliam prorsus rationem secu-
tus sum, quam iudicauit esse maximè conuenientem. Causas
uero & rationem singularum compositionum exposui in
commentarijs nostris, quos scripsi in opus reuolutionum Co-
pernici. Habet hæc nostra ætas multos eximios artifices ac
doctores Mathematicum, quibus me longè inferiorem esse scio.
Hos sæpè optauit publicorum studiorū gratia suscipere hunc
utilissimum laborem condendi canones. Sed cum intelli-
gerem præcipuos harum artium professores incumbere in alias ma-
terias